

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

11. Animi lætitia in minoribus sæpe maior, quàm in magnis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

Haec aqua & panis delitiae fuerunt ; & à Lacedæmonijs coquus omnis iuris nigri perpetuo decreto proscriptus est.

Accedit ad hoc libertas animi, & vita curis vacua, quæ est vel hinc pompæ aulicæ præferenda ; quia illa anxietate libera omnia reddit iucunda : hæc autem nunquam quiescit stimulis atque intemperijs exagitata. Appono hic talia expertum & contentem Augustinum. Inhiabam, inquit, honoribus, lucris, coniugio, & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te proprio tanto magis, quanto minus sinebas mihi dulcescere, quod non eras tu, &c. Et paulo infra: Quam ergo miser eram! & quomodo egisti, ut sentirem miseriæ meam die illo, quo, cum pararem recitare Imperatori laudes, quibus plura mentirer, & mentienti faueretur ab scientibus: easq; curas anhelaret cor meum, & cogitationum tabifilarum febribus astnaret. Transiens per quendam vicum Mediolanensem, animaduerii pauperem mendicum, iam credo saturum iocantem atq; letantem: & ingemui, & locutus sum cum amicis, qui mecum erant, multos dolores infantiarum nostrarum: quia omnibus talibus conaribus nostris ( quibus tunc laborabam, sub stimulis, cupiditatum trahens infelicitatis meæ sarcinam, & trahendo exaggerans ) nihil vellemus aliud, nisi ad securam latitudinem peruenire, quo nos mendicus ille iam præcessisset, nunquam illuc forte peruenituros.

Ex his exemplis perspicuum est, quam verum sit illud adagium; *Vallis vitæ decepit*. Ut enim valli, quibus vites alligatae fulciuntur nonnunquam radicibus actis ramis ac frondibus suis vitæ strangulant, aut prostrati palmitem secum trahunt; sic diuitiæ & rerum abundantia quibus opulentii nituntur, dum lætitias & voluptatem sperantur parituræ, plerumque curas gignunt, & mille sollicitudinum procellas. Vbi enim plures curæ, quam apud opulentos ? vbi rarior quies, quam apud opulentos ? vbi somnus interruptior, quam apud opulentos ? vbi ciborum maius fastidium, quam apud opulentos ? vbi frequentior nausea vini, quam apud opulentos, qui, postquam se ad summum gutturem, vt Comicus ait, ingurgitarunt, omnia conuomunt ? vbi lites acerbiores, quam apud opulentos ? Et hæc vita non sit amara ? cum tamen pauperes, nec tineam metuant, nec furem, & totas noctes securi dormiant, postquam mucido, tanquam Deorum cibo, & limpida, tanquam nectare, se se suauissime refecerunt. Videte igitur, quam sit dulcis & rectus Dominus: ijs, qui sunt sine Psal. 24.8.

## XI.

S. Augustin.  
I. 6. Confess.  
cap. 6.

## XII.

solatio

Z 3